



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCX. Quid sit cogitatio, an secretum cordis, quod Angelus suapte
natura scire non valet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

secretum alterius quod intumuit propinquum esse secundum locum, non alia ratione, nisi quia secretum unius non est in alio: ergo necessaria conditio est ad hoc, ut intelligatur secretum cordis, esse ut in subiecto in eo, à quo debet intelligi. Ex quibus constat, ita Gregorium amplecti communem sententiam, ut alia ratione, quam S. Thomas eam confirmet.

Verum Gregorij ratio firmum fundamentum non habet. Nam quamvis ut facultas sentiens operetur, non sufficiat virtus naturae ipsius, & natura obiecti proprii, sed necessarius sit aliquis modus, nempe propinquitatis: hinc tamen non recte colligitur, modum necessarium ad hoc, ut cognoscatur secretum cordis, esse, quem assignavit Gregorius. Primum quidem in visu, & in aliis facultatibus, & sensibus externis requiritur loci propinquitatis, ea tamen ratione, ut sensibile speciem suam in potentiam immitat: ea vero semel in facultate recepta propinquitatis loci necessaria non est ut supra disputatione 207. cap. 3. probavimus. Sed quamvis necessaria esset, tantum requireretur ut operatio sensus aliquo modo terminaretur. Deinde cum addit Gregorius, modum necessarium, ut secretum cordis cognoscatur, esse, existere in eo, à quo debet intelligi: vel ipse id assumit in sua ratione, vel ex doctrina illa priori colligit. Si assumit, frivola sit eius ratio, eo quod in ea assumit id, quod colligere debebat: tota enim controversia in hoc est, an cognoscatur unus Angelus secretum cordis non sui, sed quod in alio Angelo aut homine est. Cum igitur assumit Gregorius hoc modo, ut cognoscatur secretum cordis, oportet, ut sit in eo, à quo debet cognosci, contradictoriam opposita opinionis assumit. Postremo id, quod adducit in confirmationem de anima, quae simul cum alia anima aut Angelo esset, nullius momenti est. Ideo enim anima nostra dum est in corpore, non intelligeret aliam animam, aut Angelum, cum qua simul esset, quia quando in corpore est, indiget speciebus per sensus acquisitis. Et quia secretum cordis alterius animae aut Angeli non immitteret sui ipsius species in sensus, etiam si alia anima loco propinquo esset, ut patet ideo non cognoscatur secretum illius. Idemque de secreto Angeli existentis simul cum anima in eodem corpore, & ob eandem rationem dicendum est. Distantia vero, vel propinquitatis loci, ut intelligatur, vel lateat secretum cordis, vel alia res, nihil omnino conferre potest: imo vero in se ipsi intellectui tanquam subiecto, nihil interest: siquidem intellectus noster habens habitus, & species ipsas, non intelligit proprio conceptu, sed per discursum ex sensibilibus: ergo quavis secretum Angeli in intellectu animae nostrae poneretur, nihilominus illud non intelligeretur certo & proprio conceptu. Exemplum igitur Gregorij nihil roboris habet.

Quod si aliquis sequatur sententiam Durandi, qui putat, nostrum intellectum, & Angelicam nihil cognoscere per species, sed proxime per se ipsum: saltem negare non potest, animam nostram indigere operatione sensus, ut aliquid intelligat: cumque secretum cordis Angelici aut humani nequeat à nobis sensu percipi, etiam si loco propinquum sit: fieri non poterit, ut intellectu cognoscatur. Concedimus itaque Gregorio, ut res quae intelligibilis est, cognoscatur, necessarium

Vasquez in 1. p. tom. 2.

esse existere in eo, à quo debet cognosci, quia secretum cordis à nullo alio, quam ab eo, cuius est, sciri potest: id enim Scriptura & Patres docent. Ceterum ratio Gregorij ad hoc probandum nullius momenti est.

CAPUT X.

Judicium auctoris in praesenti controversia.

MEa quidem in hac re sententia est, nihil ratione philosophica efficaciter posse probari: id quod haecenus aliqua ex parte monstratum est: nulla enim ex rationibus allatis sufficienter ostendit, secretum cordis unius Angeli, aut hominis ab alio non posse cognosci. Nec mirum est: cum enim natura intellectus Angeli non sit nobis satis perspecta, vix intelligere possumus, quid valeat virtute sua cognoscere, nisi ex Patribus, & Scriptura id deducamus: quare sola ratione naturali ducti plene intelligere non valeamus, quarum rerum debeantur illi species naturaliter & quarum non habeat. Nihilominus cum nobis constet: ex Patribus, & Scriptura, secreta cordium nostrorum ab Angelis non cognosci, non est dicendum cum Soto, haec secreta natura sua nota esse cuicumque Angelo & à Deo solo impediri, ne cognoscantur, ut cap. 2. probatum est. Quo circa ex sola Scriptura, & Patrum doctrina nobis constat secretum cordis humani non esse intra latitudinem obiecti naturalis intelligibilis ab Angelo. Ex quibus ad rationem Scoti, & aliorum, qui contendunt, suapte natura tale secretum ab Angelo cognosci posse, facile responderetur. Dicimus enim, etiam si sint ordinis naturalis, & creati, non supernaturalis: ideo ab Angelo non percipi, quia non omne creatum est obiectum naturale intellectus Angelici ut supra etiam de futuris dicebamus. Quod quamvis ratione naturali non constet, ex doctrina tamen Patrum, & Scripturae, adiuncta optima ratione, quam capite 2. confecimus, fateri cogimur. Superest tamen, ut seq. disput. explicemus, quid nomine secreta vel cognitionem cordis intelligamus.

DISPUT. CCX.

Quid sit cogitatio, aut secretum cordis, quod Angelus suapte natura scire non valet.

Opinio Gregorij Arimin. cap. 1.

Non eodem modo de affectibus, & de cogitationibus sentiendum, probabile nonnulli existimant, c. 2.

Oppositiones contra praedictam sententiam, c. 3.

CAPUT I.

Opinio Gregorij Arimin.

EX hac controversia pendet tum superioris plena intelligentia, tum etiam perfecta notitia locutionis, qua Angeli sibi mutuo secreta cordis sui aperiant. De qua re Scholastici non multum differuerunt. Est igitur praesens controversia, quid per secretum cordis hominis, aut Angeli debeat intelligi. Doctores citati in praecedenti disputatione pro communi sententia, videntur intelligere per secretum cordis cogitationes intellectus, & affectus voluntatis. De cogitationibus autem sensus interioris non loquuntur.

tur. Vtrum autem per secretum intelligatur etiam ipsamet cogitatio intellectus, quatenus cogitatio est, an ea sola ratione qua pendet ex affectu voluntatis, ipsi non explicant. Greg. tamen Arim. loco citato ex eisdem locis Scripturæ superius allegatis contendit probare, secretum cordis non tantum esse affectum voluntatis: sed etiam cogitationes intellectus non modo quatenus pendet ex voluntate libera in hunc vel in alium finem, sed etiam quatenus cogitationes sunt. Nam Matth. 9. dicitur. Cum vidisset Iesus cogitationes eorum, &c. Ex quo loco, inquit Hieronymus, Christi diuinitatem sufficienter probari: quia Dei proprium est, cogitationes cordis intueri. Eo autem loco non de affectibus, aut de intentione, sed de cogitatione sermo est. Deinde 1. Paralip. cap. 28. dicitur, Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes. Vbi non solum Deo tribuitur, vt ei proprium & peculiare intelligere & intueri affectus nostræ voluntatis, sed etiam cogitationes mentis nostræ.

CAPVT II.

Non eodem modo de affectibus, & de cogitationibus sentiendum, probabile nonnulli existimant.

Aliis vero non improbanda omnino ratione videtur alio modo de cogitationibus quoad ipsarum substantiam, quatenus cogitationes sunt talis obiecti, quam de affectibus voluntatis philosophandum esse. Quam sententiam fuisse quorundam Theologorum, refert Durandus. Et quamvis Sanctus Thomas, Caietanus, & Thomista in hoc articulo eodem modo loqui videantur de cogitationibus intellectus, & de affectibus voluntatis: eorum tamen ratio non probat cogitationes cordis humani secundum substantiam Angelo occultas esse, sed solum quatenus pendet ex libera voluntate, in quam solus Deus efficaciam habet. Qua ratione colligunt, ea quæ sunt libera, quatenus libera sunt, esse ignota Angelo. Nam cum cogitationes intellectus secundum substantiam suam sint à causa naturali non minus, quam motus de ambulandi, & eodem modo pendeat ex voluntate, ex horum doctorum sententia sequitur, eodem modo cogitationes intellectus esse obiecta intellectus Angelici, sicut etiam est motus ipse deambulationis, nempe quoad substantiam suam naturalem, non quoad libertatem, solum autem affectum, vt pote natura sua elicito à potentia libera, etiam secundum substantiam suam non esse naturale obiectum Angelici intellectus. Eodem etiam pacto de cogitationibus sensuum, & imaginationis dicendum videtur. Nam licet pendeant ex voluntate, & ea ratione cognosci ab Angelo nequeant: tamen secundum se sunt entia naturalia, hoc est, à facultate naturali, & non libera; eodem prorsus modo, quo sunt cogitationes sensuum: cogitationes autem intellectus esse spirituales nihil obstat, quo minus ab intellectu Angelico cognosci possint, sicut sunt: intellectus enim non minus spiritualia, quam corporalia intuetur.

Hinc opinionioni fauet Argenti.

His doctoribus pro hac opinione adde etiam Argentinam, qui, vt cap. 3. præcedentis disputat. vidimus, concedit, cogitationes vnius Angeli cognosci ab alio, quid sint, & de quo obiecto sint: tamen sub ratione compositionis, & diuisionis non cognoscantur, vt hac ratione saluet secretum

ARTIC. IV.

aliquid, quod soli deo suprà natura notum esset sine qua multo melius etiam saluari potest, vt infra videbimus. Deinde accedit Hieronymus, qui, vt vidimus cap. 1. disputationis præcedentis, fatetur cognosci ab vno Angelo cogitationes alterius, quid sint, & circa quid sint, & vtrum affirmatiue an negatiue: non autem circa quid intentionis operentur. Deinde huius sententiæ planè est Hecianus, dum concedit cogitationes cordis vnius Angeli esse notas alteri, non tantum quid sint, & circa quid sint, sed etiam vtrum sint affirmatiue, an negationes, imò idem de affectibus voluntatis asserit: solum vero intentionem voluntatis esse occultam. Tamen in hoc, quod affectus de affectibus, eius sententia probanda non sit: quia male ipse distinguit intentionem ab effectu voluntatis, vt cap. 4. præcedent. disputat. offendimus. nemum hanc opinionem noster Alphonsus deca magister meus, & in nostro Collegio Complutensi primus ac dignissimus Theologie Professor publice docuit Anno 1571. quamobrem neque improbabilem ego censere, tamen aliorum de ea re iudicium libentius audire: eius autem probabilitatem hæc suadet.

Primum, quia nulla videtur esse differentia inter cogitationes cordis, quæ solum libere sunt extrinsece ex imperio voluntatis mouentis, & cogitationes sensus, aut motum localem, quem progressum in homine vocamus: quis autem negabit, cogitationes imaginationis in homine, & motus locales esse notas cuiusque Angelo, etiam si intentio ex qua procedunt, occulta sit: deinde ratio S. Thom. & aliorum, vt paulo ante dicebam, solum probat, affectus voluntatis secundum se ignotos esse Angelis, cogitationes vero ea duntaxat ratione, quæ ex affectu pendet, hoc est, prout in vnum, vel alium finem diriguntur, ad vnum vel ad alium finem mouent. Porro cum ratione philosophica in hac re vix aliquid probari possit, vt capite vltimo superiouris disputationis diximus, sed solum asserendum hæc secretum cordium occultum esse Angelis, vt testimonia Scripturæ & Patrum sacrosanctissima; si hæc vniuersa saluari possent, optimusque & congruus modus locutionis inter Angelos traderetur, quæ multis aliis modis vix sine incommodo explicatur, aut defenditur: hæc sententia improbabilis censui non deberet. Quod si secundum sententiam Henrici posset distingui intentio animi ab affectu, fortasse non videretur contra Scripturam asserere, eodem modo affectus, sicut etiam cogitationes secundum se notas esse & manifestas Angelis, cum secretum intentionis deo referretur. Ceterum cum in bona philosophia talis distinctio committitur, ideo sententia Henrici ea parte omni probabilitate videtur destituta.

Ostendamus igitur, eum modum philosophandi, quem diximus, Scripturæ testimoniis non aduersari, etiam si diceremus cogitationes cordis quoad substantiam quatenus cogitationes tales sunt, notas esse Angelis, intentionem autem, quæ eisdem, & ipsas cogitationes, quatenus sub intentionem cadunt, vel quatenus illius causa considerantur intellectum Angeli. Quamuis cogitationes absolute sumptæ nihil aliud sint quam operationes intellectus: tamen cum dicuntur cogitationes cordis, secundum phrasim Scripturæ significatur cogitationes cum affectu, & tali intentione:

præsertim vero cap. illo 9. Mart. ubi dixit Christus Phariseis, *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? & ut vidit cogitationes eorum.* &c. Ex quo loco diuinitatem probari affirmat Hieronymus. ut supra vidimus. Idem enim est eo loco, videre cogitationes eorum, ac videre prauas eorum intentiones ortas ex eorum cogitationibus. Et idem est cogitare mala in cordibus, atque prauam intentionem habere. Simile est illud Matth. 17. & Marc. 7. *De corde exeunt cogitationes prauæ, id est praua opera, quæ dicuntur prauæ cogitationes, quasi prauæ res cogitæ, ex prauo affectu proficiuntur.* Cor enim non sola cogitat, sed cum affectu voluntatis coniuncta dicitur. Et Luc. 2. *Ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Et Act. 18. *Si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* In quibus & multis aliis locis per cogitationes cordis Scriptura intelligit non solum operationem intellectus, sed prout coniunctam affectui, & intentioni. Cum igitur Scriptura soli Deo tribuit scrutari renes, & corda, seu cordis cogitationes: non intelligit solum intellectus considerationem secundum substantiam, sed affectum, ex quo illa proficiuntur, vel cuius illa est causa. Sunt enim innumera Scripturæ testimonia, quibus cordis nomine voluntas ipsa significatur. Quare & secretum cordis erit affectus illius. Proverb. 4. *Omni custodia custodi cor tuum.* Eccli. 8. *Non omni homini cor tuum manda.* Et capite 12. *In ore saturorum cor illorum, in corde sapientum os illorum.* Cor autem, quod præcipit sapiens custodiri, nec omni homini aperiri, &c. est plane affectus interior voluntatis. Si ergo diceremus Deo referuari secretum cordis, hoc est, liberum voluntatis affectum, etiam si notæ essent cogitationes, quatenus sunt intellectiones quadam, & notitiæ: satisfieri videretur Scripturæ asserenti, Deo soli patere cogitationes, & secreta cordum: intelligit enim ipsas cogitationes secundum finem, ad quem diriguntur, vel à quo procedunt.

Pro huius tamen rei maiori perspicuitate notandum est, duplex genus operationis esse in voluntate: quoddam est circa obiectum, quod non mouet necessario quoad exercitium voluntatem, sed tantum libere: elicitur tamen aliquando necessario & naturaliter ex inconsiderantia, vel defectu cogitationis in vtramque partem. Aliud vero genus est circa obiectum, in quod voluntas fertur necessario quoad exercitium, qualis in nobis est affectus amoris circa Deum clare visum, & in Angelis etiam viatoribus (ut nonnulli existimant) dilectio sui ipsius, & Dei sui naturalis: quod an verum sit, suo loco dicemus. Si de prioris generis affectus loquamur, iuxta hanc opinionem dicendum esset, omnem affectum huiusmodi esse ignotum & occultum Angelo: quia ex se est de genere liberorum, tamen si accidentarie defectu considerationis plenæ in vtramque partem naturaliter & necessario elicitur: quia ut latius ostendam cap. 2. quæst. 7. articulo 6. idem affectus voluntatis in se omnino immutatus potest esse successiue liber, & necessarius, sola extrinseca denominatione proveniente ex attentione, aut inconsiderantia rationis. Hæc autem extrinseca variatio sufficiens non est, ut eadem substantia affectus in se ipsa immutata modo cognosci possit, modo non possit: quia eadem entitas in se immutata cum intellectu semper comparari

debet eodem modo: Cum igitur fatendum sit iuxta ea, quæ ex Scriptura, & Patribus deduximus, affectus liberos voluntatis vnius Angeli, aut hominis ab alio Angelo non posse cognosci: idem de naturalibus & necessariis ex sola considerantia dicendum est, quos primo primos appellamus: contra vero dicendum est, affectus, qui sua natura circa tale obiectum naturales & necessarij sunt quoad exercitium, semper à quocunque Angelo cognosci: quoniam ex doctrina Sancti Thomæ, & aliorum, qui communem sententiam sequuntur quosque præcedenti disputatione retulimus, affectus voluntatis liberi solum occulti sunt Angelis.

Eadem quoque ratione de actibus intellectus, quatenus sunt cogitationes secundum substantiam, dicendum esset, siue libere ex plena consideratione, siue naturaliter & necessario ex inconsiderantia eliciantur, nos esse Angelis: quia semper super eiusdem naturæ. Si ergo semel cognoscatur, semper cognosci poterunt, siue naturaliter, siue libere eliciantur.

Sed obiciet aliquis. Primus motus voluntatis naturaliter sequitur ex impressione & motu appetitus in nobis, etiam si suapte natura non sit necessarius, sed libere elici possit: ergo cum demon, & Angelus cognoscat motum appetitus, cognoscat etiam affectum voluntatis circa idem obiectum. Respondetur Angelum recte deducere ex motu appetitus subito etiam motum nostræ voluntatis, cum sciat in subitis motibus sine libertate tangi cor hominis, & voluntatem: hinc tamen non fit, ut ipsum affectum voluntatis in se intueatur, sicuti est, sed illum ex manifesta coniectura deducat, quæ celsante non poterit cognoscere, an talis affectus in voluntate sit. Si autem ipsum cognosceret propria & intuitiva notitia, sequeretur, semper ab Angelo euidenter cognosci. Ea quæ hactenus diximus probabilitate non carenti quæ si admitterentur, facilem modum locutionis Angelorum ex hac doctrina inferius assignare possemus. Si tamen quis contendat, etiam ipsas cogitationes, quatenus cogitationes sunt, ab Angelis non cognosci, de locutione Angelorum illa via philosophandum esset, ut infra dicemus. Ceterum in re admodum difficili, & à sensu nostro remotissima satis fuit aliorum varias sententias proposuisse, nihil vero interim præiudicare, sed aliorum doctorum iudicio, quid in hac controuersia verius sit, integrum relinquere, consulte decreui.

CAPVT III.

Oppositiones contra prædictam sententiam.

Contra ea, quæ diximus de cogitationibus intellectus, posset aliquis arguere primum hoc modo, Si vnus Angelus cognoscit, quid alijs Angelus vel homo cogitet, & an cogitatione sua affirmet aliquid, vel neget, denique si inueniat ipsam cogitationem, cognoscat proculdubio primum quid intensius cogitet & efficacius: cumque voluntatis affectus sequatur semper intentionem & perfectiorem cogitationem, certo inde cognoscat affectum: & ita totum secretum cordis vnius Angeli, aut hominis cuius alteri Angelo notum erit, deinde cum peccatum in fidelitatis sit in errore intellectus contra fidem, sciet etiam quicunque Angelus, an homo labatur in peccatum hæresis.

Respondet, neutrum colligi ex doctrina superiori. Non prius: quia quavis homo, & Angelus semper aff. suo sequatur cognitionem efficaciorē, & magis expressā: hoc tamen ita intelligitur, vt semper quando mouetur affectus, sequatur expressiorem & efficaciorē cognitionem, non tamen quod ab ea non possit non affectus moueri: siquidem cuiusque cognitioni resistere potest, nescit igitur Angelus, an voluntas nostra consentiat cogitationi intensiori vel non consentiat. Adde etiam, quod non quavis cogitatio intensior mouet voluntatem, sed ea, quæ peculiari quadam expressione proponit obiectum in quadam proportionē cum voluntate, quam quidem proportionē, & expressionē Angelus cognoscere, & penetrare non potest. Nec sequitur potestius, quod inferebatur: quoniam licet peccatum infidelitatis consummetur in errore intellectus & hunc cognosceret Angelus, quatenus est enunciatio quadam intellectus falsa: tamen cum requirit etiam consensum voluntatis, vt sit peccatum, & hic non sit notus Angelo: plane efficitur, vt Angelus non possit certo cognoscere peccatum infidelitatis in homine. Ceterum ex nimia mora in cogitando contra res fidei, & ex aliis coniecturis ex sensu & imaginatione sumptis discernere potest, hominem in haresim lapsum fuisse: ob id tamen non quāquam aff. dum cordis intraret, si cui est, sed coniectura tantum magis, at minus certa colligit.

Deinde obicere quis posset Augusti, qui cum libro de diuinatione demonum dixisset demones cognoscere aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quaedam exprimerentur in corpore, retractat in lib. 2. retractat. cap. 10. quasi audaciori asseueratione illud dixisset. Respondeo, id non retractabile Aug. quod falsum existimaret cogitationes & hominum dispositiones & demonibus ex aliquo effectu cognosci, sed quod incertum existimaret, in ipso corpore signa aliqua exprimi, quibus interna dispositio hominum cognoscatur. Verba Augustini sunt, *Pervenire ista ad notitiam demonum, per nonnulla etiam experimenta comperitur esse verum signa quaedam dantur ex corpore cogitantium illis sensibilibus, nos autem latentia, an alia vi & ea spiritalia ista cognoscant, aut diffisilime potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.* Solum igitur existimat Aug. difficile, an demur in corpore signa sensibilibus, quibus Angeli discernant cogitationes, & secreta cordium : & hoc solum se dicit audaciori asseueratione affirmasse.

DISPVT. CCXI.

Quo pacto angeli inter se lo-
quantur.

Angelos sibi mutuo loqui, indubitatum est, cap. 1.
Vnum Angelum alteri loqui dum imprimit in
eius cognitionem obiecti à se cogniti, autu-
tus, cap. 2.

Sententia Scoti refellitur, cap. 3.

Vnum Angelum alteri loqui imprimendo illi speciem suae cognitionis nonnulli censent, cap. 4.

Præcedens opinio confutatur, cap. 5.

Diluuntur rationes superioris sententia, cap. 6.

Angelos sibi mutuo loqui per hoc, quod vnus imprimit cogitationem sui conceptus menti alterius Angeli,

ARTIC. IV.

cenferunt Ocham, & Gabriel, cap. 7.
Vnum Angelum alteri loqui eo ſolum.

cretum ei manifestum fi

Quid senserit Durandus. cap. 2.

Loquutionem Angelorum fieri per signa quadam spiritalia. quæ non sint conceptus. Ex. 11. 1.

serunt Aegidius & alij c. 10.
Loquutionem Angeli esse verbum menti.

C A P V T I.

Angelos sibi mutuo loqui, indubitatum.

TAmelī Sancti Thom. in 4. quæst. 107. disputat de locutione Angelorum, vultum tamen est mihi non abs te totam illam questionem in hoc articulo examinare, & quidquid circa locutionem Angelorum notatione dignum est, in vnum colligere. Et autem apud omnes Theologos extra controuersiam, Angelos loqui, & quosque conceptus, & secreta cordium suis mutuo exprimere: licet de modo, quod id efficiant, non sit inter ipsos discussio sit. Primum igitur Angelos fecum mutuo loqui, colligi videtur, ex Scriptura Zachar. 2. vbi dicitur, *angelus qui loquebatur mihi, egrediebatur & Angelus illius egrediebatur in circuitum eius, & dixit a eum.* Apocyp. 7. *angelus vnus clamauit ad quatuor alios dicens, noli uenire terra, & mari, &c.* Præterea Daniel, & Michael angelos inter se loquentes videntur, vt in his prophetiis passim narratur. Ceterum cum in his locis angelī apparuerint propitius, & loanni in specie & figura hominis, posset aliquis dicere locutionem illam non fuisse spirituales, sed verbus in aëre formatis, quod loquutos fuisse. Verum cum hæ locutiones corpore in corporebus assumptis indicent hominibus locutiones spirituales, quibus angeli suis mutuo loquentur: et eisdem locis non obscure colligitur, Angelos loqui possē: nam si spirituales non loquerentur inter se, frustra etiam in corporebus assumptis fermocinarentur aut fermocinantes apparerent. Præterea hoc ipsum perspicue colligitur et illo si *linguis hominum loquar, & Angelorum, & Humanum locum tractas* Chrysost. hom. 32. in eam epistolam ita scribit, *Lingua autem Angelorum illius, non quia spiritibus corpus affingat; sed sic loquar, quæ tu inter te ipsi: quem Iesum Pauli sequuntur Theodoretus, & Oecumenius, & Anselm. vbi fecerunt, angelos inter se loqui, & secreta sui cordis suis mutuo manifestare.* Basil. etiam in hom. in initium Euang. Ioann. circa medium inquit, *Nam & Angelus nobis innuit, quod etiam angeli propriam linguam habeant, cum ait, si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Denum Ambr. loca Pauli eodem modo interpretatur in commentariis illius: ait enim, *si linguis Angelorum est, habere cognitam spirituum illius angelicam motum, id est, secretum cordis.*